Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



88 95

murmurauit omnis congregatio filiorum israel contra moysen
et aaron in solitudine: dixeruntque ad eos filii israel
Utinam mortui essemus per manum domini in terra
egypti quando sedebamus super ollas carnium et
comedebamus panes in satietate Cur induxi-
stis nos in desertum: istud ut occideretis omnem
multitudinem hanc Dixit autem dominus ad moysen
Ecce ego pluam uobis panes de celo Egrediatur
plebs et colligat que sufficiunt per singulos dies: ut
temptem eum utrum ambulet in lege mea an non.
Die autem sexta parent quod intulerunt: et sit du-
plum quam colligere solebant per singulos dies.
Dixeruntque moyses et aaron ad omnes filios is-
rahel Uespere scietis quod dominus eduxerit uos de
terra egypti et mane uidebitis gloriam eius Audi-
uit enim murmur uestrum contra dominum nos uero quid
sumus quia murmuratis contra nos Et ait moyses
Dabit dominus uobis uespere carnes edere: et mane
panes in satietate: eo quod audierit murmura-
tiones uestras: quibus murmurati estis contra eum
nos uero quid sumus Non contra nos est mur-
mur uestrum: sed contra dominum Dixitque moyses ad aaron
Dic omni congregationi filiorum israel Accedite coram
domino Audiuit enim murmur uestrum Cumque loqueretur
aaron ad omnem cetum filiorum israel: respexerunt
ad solitudinem: et ecce gloria domini apparuit in nube
S·l·t· Cum appinquassent Secundum Macheum
ierosolime et bethanie ad montem oliuarum mittit
duos ex discipulis suis et ait illis Ite in castellum
quod contra uos est: et statim intrantes illud
inuenietis pullum super quem nemo adhuc hominum